



## Syllabus contentorum.

1. Orientii Commonitorium fidelium, cum notis Henr. Leonh. Schurzfleischii.
2. Christ. Gottfr. Stentzelii Liber de aurium blandimentis veris magis quam blandis.
3. Io. Ahrab. Birnbaum de natura ac usu studii antiquitatum liber singularis.
4. Io. Christian. Fischeri Selecta et variorum Latini purioris monumenta, ubi habentur a) Frid. Gotthiff Marschall dicti Greiff Panegyricus in obitum uxoris Sophiae Elisabethae. b) Io. Phil. Steuogtii Progr. de uno studiorum genere. seligendo. c) Eiusd. Progr. de hierarchia Romana. d) Christian. Gott. Schwarzii Progr. in obitum Christiani Gottfr. Laur. Rinckii. e) Epistole quadam selectiores virorum doctissimorum e Mstis eruta. f) Varia poetica, ut x) Vlr. de Hutten Vir bonus. y) Eiusd. "Ovris, Nemo. y) Io. Alexand. Brasificani Næv, Omnis. s) Eiusd. Elegia Mopsus in dolio. z) Io. Pasjeratic Nikol. 2) Io. Henr. Acçeri Carmina nonnulla. 3) Io. Christ. Fischeri Panegyricus in natalem Frederici III. principis heredy Saxonis Gothani. h) Ei. Oratio de concordia nationis et perspicua elegantisq. latina dictionis. i) Ei. Comento de iudicio phrasium stili Romani vulgo neglecto. k) Inscriptio.
5. Io. Henr. Schaeferi Schedion critico-philologicum, in quo genuina indoles linguarum IV. cardinalium, scilicet Germanicæ, Latinæ, Græcæ ac Hebrææ, simulq. nevi quilam in vulgaribus præceptis, nec non aliqua compendia doctrinæ adhibenda ostendantur.
6. Georg. Christian. Hallbaueri Diss. de recta linguarum descendarum ratione.
7. Eiusd. Diss. de scriptura, eiq. origine, natura et variis modis, præcipue per litteras ex ære fusas.
8. Christ. Gottl. Ioecheri Diss. de M. Antonii Triumviri Timonis.
9. Sigism. Frid. Dresigii Comento de correctoribus imperii Romani.
10. Io. Christian. Fischeri Diss. de Hubertino clerico Crescentinate, elegantiorum litterarum sæculi XV. in Italia instauratore.
11. Erhard. Reuschii Diss. de bibliothecis Romanorum.
12. Mich. Eilienshalb Diss. de philothecis varioq. earundem usu et abusu.
13. Io. Henr. Martii Diss. de præcipuis iisdemq. antiquioribus litterarum statoribus ac Mæcenatibus.
14. Sigism. Frützschii Diss. de præcipuis iisdemq. recentioribus litterarum statoribus ac Mæcenatibus.
15. Io. Gottlob Guttleri Comento de lectione monumentorum Græcorum Latinorumq. acroamatica et eiq. in primis dignitate.
16. Sigism. Frid. Dresigii Animadversiones in Fabri thesaurum continuata.
17. Dan. Guil. Molleri Diss. de S. Aurelio Victore.
18. Eiusd. Diss. de C. Fannio.
19. Io. Gottfr. Hauptmanni Diss. de Atticismo.
20. Io. Georg. Eccardi Censura diplomatis Carolini de scholis Onabrugensis ecclesie Græcis et Latinis, ab objectionibus Iodoc. Herem. Nunninghi vindicata.
21. Sam. Florentis Reuini Diss. de professoribus veteris ecclesie martyribus.
22. Gottlieb Wernsdorffii Diss. de constitutionum apostolicarum origine, contra Guil. Whistonum.
23. Io. Iust. Spier Diss. qua testimonia patrum V. primorum seculorum de Pauli apostoli itinere in Hispaniam comsecto labefactantur.
24. Alexand. Politi Oratio de litterarum Græcarum necessitate.
25. Adr. Stegeri Diss. de infulis sacrae dignitatis insignibus.
26. Jac. Perizonii Diss. de rebus atque incrementis Prætorum.
27. Io. Frid. Weidleri Diss. de sacramentalibus.
28. Io. Jac. Syrbii Sententia theologorum nostratium de determinata futurorum contingentium veritate adjecta.
29. Erh. Reuschii Diss. de episcopo patre spirituali.
30. Io. Georg. Walchii Diss. de variis theologiam tradendi methodis.
31. Eiusd. Diss. de variis transubstantiationis pontificia.
32. — Diss. de formulis salutandi apostolicis.
33. — Diss. de methodo demonstrandi mathematica, ad res theologicas non applicanda.
34. Henr. Klausingi Diss. de eodem argumento.
35. Frid. Jac. Fritthaberii Diss. de eodem argumento.

36.  
37.  
38.  
39.  
40.  
41.  
42.  
43.  
43.  
44.  
45.  
46.  
47.  
48.  
49.  
50.  
51.  
52.  
53.  
54.  
55.  
56.

36. Io. Leonh. Frisch Origo characteris Sclauonici, vulgo dicti Cirulici.  
 37. Matthia Nicol. Braunß Diss. de dominatu pontificis Romani.  
 38. Christoph. Matthæ Pfaffii Petrus Bestius Scepticus refutat.  
 39. Georg. Henr. Ribouii Diss. de controuersis eruditorum generatim consideratis.  
 40. Henr. de Bello nouo Meditationes rationales, quibus veritates quædam philosophicæ ab erroribus sectatorum Wolfii strenue vindicantur.  
 41. Io. Dan. Sternhronidii Progr. de discrimine artis rhetoricæ et homileticæ.  
 42. Io. Gottlob Stolze de quæstione: an concubinatq; sit tolerabilior polygamia?  
 43. Gust. Georg. Zeltneri Schematismus de theologo suspicioso.  
 43. Gottfr. Christoph. Claudii Responsio ad vindictas Pilgerianas.  
 44. Corn. Dieter. Kochii Progr. de disputatoribus nonnullis in ecclesia mediæ sui infelicibus, nominatim de Felice Virellitano et Elijando Toletano pontifice.  
 45. Christian. Breithaupti Progr. de nauis Scholasticorum in metaphysicâ commissis.  
 46. Eiusd. Diss. de existentia demonum.  
 46. Eiusd. Diss. de existentia demonum.  
 47. Christian. Wolfii Specimen physica ad theologiam naturalem applicata, sistens notionem intellectus diuini per opera naturæ illustratam.  
 48. Iul. Franc. Duxæ Progr. de præposteris ac fatalibus clericorum quorundam in politicis rebus consilium.  
 49. Io. Frid. Wuchereri Diss. de æquilibrio adfectuum in temperamento cholero-melan- cholicis, in ordine ad religionem, muneris curam et patientiam.  
 50. Gottlieb Sam. Dreueri Diss. de compendiana eruditione.  
 51. Aug. Mülleri Diss. de inuidia.  
 52. Io. Jac. Mülleri Diss. moralis de propædeumatibus.  
 53. Ernest. Conradi Diss. de sudorum enuntiationibus.  
 53. Ernest. Schreiberi Diss. de cometis.  
 54. Christoph. Schreiberi Diss. de cataclysmo Thuringiaco.  
 55. Georg. Goepii Diss. de baccalaureo.  
 56. Christian. Schultzens Diss. de baccalaureo.

Gammelsdorf

Godofredus Ludouicus Krüger,  
 Mulhyensis, me sibi comparauit  
 Quedlimb. d. 24. iul. 1742.

sp. 2. f. 8. 1742

hilff  
 il. Ste-  
 d) Chri-  
 ctiores  
 i. Ouis,  
 l. 2) Io.  
 nicipis  
 r. i) Ei.

scilicet  
 compendia

xv. in

in primis

ab obie-

iam con-

e adserta.

ecanda.





*Disputatio Historico-Politica*

DE

**DOMINATU  
PONTIFICIS  
ROMANI,**

*Quam*

Divinò adspirante Numine

*RECTORE MAGNIFICENTISSIMO*

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

**DN. VVILHELMO HENRICO**

DUCE SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ac MONTIUM, ANGARIÆ  
& WESTPHALIÆ &c. &c.

Indultu inclytæ Facultatis Philosophicæ  
*in alma hac Salana*

PRÆSES

**M. MATTHIAS NICOL. Braun/**

RESPONDENTE

**IOHANN. CHRISTOPH. Zebel/**

**SS.Th.Stud. Nordhuf.**

*d. Julii Ann. 1704.*

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT.

*JENÆ, Litteris MÜLLERIANIS.*







## *Proaulium.*

**P**ontifici Romano, qua politicae personae, complures, non solum ipsius asseclas, verum etiam nobis addictos, Monarchiam tribuere, neminem forsitan fugiet: E diametro non pauci, Tyrannum Pontificem agere, asserere conantur: verum enim vero

rem ad lydium Politices lapidem referentes, utramque partem (salvo tamen meliori iudicio) vel in excessu, vel defectu, deprehendimus peccavisse. Praesente itaque opella mediam elegimus viam, illum Dominatu superbire demonstraturi. Tribus autem Capitibus praelaudatum peroraturi sumus Dominatum, quorum I. Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam Pontificis & Dominatus representabit. II. Dominatum Romano Pontifici competere ostendet. III. Media, quorum auxilio Dominatum consecutus sit, oculos ponet.

▲ Cap.

## CAPVT I.

DE

*Etymologia, Homonymia &  
Synonymia Pontificis & Dominatus.*

§. I



Ententiam Philosophorum observari monemus, quòd Pontificis vocabulum ex Latino idiomate desumptum sit. Varios verò apud Auctores, lusum in verbis quarentes, derivationes deprehenduntur: quidam enim à *Posse & Facere*, ut *Scævola*, deducunt, vel quia *Sacrificat*, *Facere* enim, teste *Virgilio*, idem notat ac *Sacrificare*:

*Cùm faciam vitulam, pro frugibus ipse venito.*

Vel quia omnia facere potest; alii verò à *Pompa* quasi *Pompificem*, quia *μὲ πῶδες Πρωσίας* suis rebus vacet, dici existimant. Alii autem à *Ponte & Facio*, quorum sententiæ & nostrum adjicimus calculum, dictum volunt. *Numa Pompilius* enim, referente *Plutarcho*, ferocem populum, Religione & Justitiâ gubernaturus, cultum Deorum immortalium docuit, & Pontifices, Augures, Salios &c. instituit, ubi Pontificibus cura reficiendi Pontem erat demandata: nam initio, cùm Deorum adyta & Sacraia nondum haberent, idola in Pontem sublicium collocabant, ibique, casâ victima



mā, istis immolabant. Zosimus Pontificum originem ad Theffalos refert, qui in Penei fluminis pontem Deorum immortalium simulacra posuerunt.

§. II.

Commemoratorum Pontificum non unus erat ordo: in Majores enim & Minores dividere antiquitati arrisit, inter quos Summus sive Maximus præcipuā dignitate micabat, reliquisque imperabat, de nuptiis caremoniisque judicabat, penes quem Libri rituales sive Pontificum, quorum *Horat. l. 2. Epist. meminit*; cañens:

*Pontificum libros annosa volumina vatū &c.*

& Elephantini h. e. vatū libri, in quibus, teste *Ca-lepinō*, Senatūs consulta scribebantur, repositi deprehendebantur.

§. III.

Constituto successu temporis Romæ Episcopo Romano, velut eminentem in Sacris potestatem sibi vindicanti, hæc vox assignari cœpit ab aſſecclis. Principibus quoque sive Imperatoribus hanc vocem propriam fuisse, usque ad Gratianam Imperatorem, qui editō publicō, ne ipsi amplius hæc vox injungeretur, demandavit, *Kromayer. in Theol. Pos. Pol. p. m. 1975.* testatur. Hinc ut Majores Principes, Papæ verō ut Pontifices Minores considerari poterant, præsertim cum olim non nisi confirmante, electionemque à clero factam approbante Imperatore, ad culmen Pontificiale eveherentur, quod expressè *Onuphrius Pamvinius* in Annot. super Platinam de vitis Pontificum asserit, cujus verba ita se habent: *Verum electus Romanus*

A 3

Pon-

*Pontifex non ante consecrari, atque ab Episcopis ordinari posset, quam ejus electio ab Imperatore Constantinopolitano confirmata esset, ipseque literis suis patentibus electo Pontifici concederet, ut ordinari & consecrari posset, atque ita jurisdictionem Pontificatus tum obtineret. Pro qua licentia consequenda electo necesse erat certam pecunie quantitatem Imperatori transmittere. Quâ venia obtenta, ipse postea consecratur, & Rom. administrabat Pontificatum.*

S. IV.

Synonymiam Romani Pontificis quod attinet, perspicere placet. Alio nomine *Papa* salutari consuevit, de cujus vocabuli origine valde sunt solliciti. Quidam enim ex Hebræa, quidam ex Latina, & quidam ex Græca lingua deductum putant. Qui ex Hebræo idioma origine petunt, ab אבא ingeminato posteaque in verso derivari, unde & Abbas, deduci putant. Latinum sermonem pro fonte habentes septem ostendunt origines (1) à literis initialibus *Patris Patria* (2) à *Pupa* quod imagunculum ad puellarum lusum denotat, tum quia ipse ut pupa colitur, tum quia cultum imaginum sive puparum introduxit (3) à *Papis* sive *Papillis*, h. e. capitibus mammarum, quas infantes sugentes comprehendunt, Germ. *die Wärschen*/ ut enim papillæ sunt delicatissima pars corporis, ex qua lac fugitur, ita etiam ex *Papa* lac fidei (vel potius venenum) fugi tradunt *Papicolæ*; forsân hæc derivatio solum locum habebit in Iohanne, vel magis Iohanna VIII. qui, si fides quibusdam habenda, ex vaticano, processione solenni, ad Lateranensem Basilicam pergeas inter Ne-

ronis

Neronis Colosseum Theatrum & Clementis Fanum, partus doloribus supervenientibus, scitum enixus puellum, hinc prædictam viam in Proceffionibus Pontificem declinare ajunt. Postea, ne amplius error in sexu committeretur, Papa in Petri sella porphyretica collocatus & genitalia ejus à Diacono contrectata dicuntur, unde versus:

*Non poterat quisquam referantes atbera claves*

*Non exploratis sumere testiculis.*

(4) à Pappo carduorum flore, quia plerumque non diu ad clavum sedere solent. (5) à Patre, quæ onomatologia Paulo III. propriè, qui, antequam sedem Apostolicam conscenderet, se patrem appellari posse satis per filios probavit, attribui potest, (6) ab Interjectione *Papa*, quasi sit animal omnium admiratione dignum, quia se vel super Imperatores tollere non erubescat, *Kromayer. in Eccles. in Politia.* (7) à Participando, hinc aliquis interrogatus, cujus generis sit Papa? respondebat: Generis Participii, ratio, quia partem capit à Clerico, partem a Laico, *Melander in jocos.* Verùm hæ omnes Derivationes partim coactæ, partim allusivæ sunt, quapropter eas rejicimus, & sententiæ, ex Græca lingua vocem hanc deducenti, subscribimus: Descendit enim a *πάππας*, quod Patrem denotat, unde pueri patri blandientes acclamant Papa. Germanicè dicitur *der Pabst.*

§. V.

Anacleto Romano Episcopo primum ab Ignatio attributum fuisse tradunt, quod postea ad ceteros quoque primitivæ Ecclesiæ Patres transiit, & quidem merito: illi enim

enim Episcopi tum temporis veram Ecclesie curam, Parentum instar, habebant ita, ut sanguine suo sapissimè tyrannis satisfacerent, quod postea translatum est in Successores. Pontifices autem hoc blandò titulò superbientes, Dominatum amicare voluerunt, cum antea ethnicò solùm vocabulò, Pontifices salutarentur.

§. VI.

A Papicolis Christi Vicarius ac Petri successor salutatur, item caput Ecclesie, Sponsus & Fundamentum. At quò jure titulis hisce superbiat, venerandis Theologis relinquimus disquirendum.

§. VII.

Sufficiant hæc de Etyologia, Homonymia & Synonymia Pontificis; transeamus nunc ad Dominatùs ventilationem; cum verò in plerisque Politicis parum vel nihil Doctrinæ hujus occurrat, paulò curatius eam in præsentia videbimus. Equivocationem autem in limine removentes, hic non illum Dominatum, quem cives quondam Romani, in servos suos crudelissimò modò exercebant, intelligimus: talis enim crudelitas, bestiarum more in homines faviens, post Christum natum tertio decimo Seculo, ut Bodinus putat, ex Christiano orbe exulare jussa est. Neque etiam Dominatum, quem hodierni Domini, restrictis tamen immodicæ favendi libertatis habenis, in servos suos exercere solent, supponimus; sed illam speciem, quæ media inter Monarchiam & Tyrannidem.

VIII.

Dico, esse speciem inter Monarchiam & Tyrannidem mediam, quia habet aliquid ex Monarchia &

& Tyrannide admixtum, in hac enim Dominus Reipublicæ commodum quærit, quod Monarchæ proprium, primariò tamen ad proprias libidines explendas respicit, quod tyrannis competit.

§. IX.

Ex hætenus dictis hæc Descriptio Dominatûs emerget: *Dominatus est species regni, ubi quis primariò familiæ suæ emolumentum ac commodum, secundariò autem Reipublicæ querere solet.* Per hoc igitur, quòd primariò familiæ suæ emolumentum ac commodum quærit, à Monarcha discernitur Dominus: hic enim primariò Reipublicæ commodum attendit, cùm is, Politicis testibus, propter populum, non verò populus propter imperantem sit conditus. Hoc autem, quod secundariò & aliquo modo Reipublicæ curam gerat, à Tyranno illum discernit, hic enim leges fundamentales Reipublicæ utiles violat &c. *vid. Keckerman. in Pol. p. m. 423.*

§. X.

Duæ species Dominatus constitui possunt (1) *cùm unus pleni jure succedendi dominatur*, v.g. Rex Galliæ, hòc enim extinctò, Dauphin maximus natu filius factus suscipit, vel *cùm per electionem ad regnum unus evehitur*; atque hæc est ratio Pontificatûs Romani, (2) *cùm plures unò Dominatum exercent.* Synonyma Dominatûs esse possunt *τὸ κέρμεν, παμβασιλεία* &c.

§. XI.

Ex hætenus dictis Descriptio quoque Dominatus Romani Pontificis elici potest, nempe, quòd sit

B

sum-

*summi in Ecclesia Romana Sacerdotis imperium, quod primario in familia sua, & secundario in Republica commendatum & emolumentum gerat.*

## CAPUT II.

DE

### *Dominatu Romano Pontifici competente.*

§. I.



Maximopere Pontifices Dominatum & quidem universalem intendere, satis clarum esse puto; quales enim erga Imperatores olim se gesserint, ex Historiis notum: non solum enim Imperium in reliquos Episcopos exercere gestiebant, sed etiam in Imperatores. Romanus autem & Constantinopolitanus Episcopus contentionis ferram recipiebant, sed nihil Romanus Episcopus obtinuit, adhuc hodie enim orientalis Ecclesia Christiana utitur libertate, nec jugo Pontificalis Dominatus premitur, *Gibel. in Cesareo-Papia Cap. 1. §. 2.* Verum non tantum Imperatoribus dominari, sed etiam illis insultare ausi sunt: nam Fridericus I. cognomine Barbarossa ab Alexandro II. male habitus, Friderici nimirum filio Ottone, praelio navali, in mari Adriatico, a Venetorum Duce victo, pacem

cem Pater supplex, à Pontifice, in D. Marci æde, petere coactus fuit, quò verò hanc à Pontifice obtineret, sab cantione *Psalm. XCI. Super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis draconem & leonem*, pede Pontificis conculcatus est: Imperator autem ægre hoc ferens, illicò surrexit his verbis: *Non tibi, sed Petro*, cui tamen Pontifex iterum pede pulsans: *Et mihi & Petro*. Marchio verò Misniæ Theodoricus flammantibus oculis strictoque gladiò in Pontificem ferebatur, illumque, nisi à Friderico & cæteris adstantibus prohibitus, jugulasset. Quid Friderico II. acciderit, notum est, quem Innocentius IV. Episcopus Romanus deposuit, cujus depositionis formulam in *C. ad Apostolica* & habemus mutilatim, quam tamen ex vetusto codice *Simon Schardius in Ep. p. m. 61.* integram habet. Imò eò perduxere, ut Caesaribus initiatis perversò ordine formulam jurandi præscriperint, uti videre est in Friderico, ubi talis formula apud *Lipstorpium* exstat: *Sanctissimo Domino nostro, Domino Nicolao, divinà providentià Pape V. ego Fridericus Rex Romanorum promitto, juro.* Prioribus quoque temporibus, Romam Imperatores proficiscebantur, ibique coronà aureà insigniebantur, quod autem post Carolum V. cui à tergo pons Romæ collapsus est, *Arumæus ad A. B. p. m. 111.* in desuetudinem abiit, non enim sine maximis expensis expeditio hæc, Germanicè, *der Römer-Zug* perficiebatur, *Schwyederus in Jur. Publ.* Cæterùm quò pacto plerisque Imperatoribus molestiam creare consueverint Pontifices, fusè ostendit præcitatus Schardius. Verùm quamvis hisce Pontifices potestatem universalem

lem in Imperatores attentaverint, non tamen ex hoc Pontifices Monarchas (uti nonnulli sentiunt) esse clarescit, sed dum rem æquâ lance expendimus, Dominatu potius uti plerosque, deprehendimus, id ipsum sequentibus §§ demonstraturi.

§. II.

Ex Definitione Dominatûs, ad Pontificis regimen applicata, huic competere Dominatum apparebit. Primariò enim Pontifex *ὁς τῶν πᾶν* familiaris suæ emolumentum, Republicæ verò secundariò intendit. Per familiam hîc locò non solum illos, qui necessitudinis nexu Pontificem attingunt, sed etiam Cardinales totiusque curiæ Romanæ asseclas intelligimus, quos Dominatu suo largissimè ditare assolet, ne deserant fictitium Ecclesiæ caput, & sic ipsi cum Dominatu corruant. Ut verò suos retineat, Cardinales summis magistrare honoribus consuevit, ita ut regiam Cardinalium æquare dignitatem illis persuadeat; quo verba Pontificis purpureo Cardinalem galero vestientis spectant: *Accipe galerum rubrum, cujus virtute regiam dignitatem ædequas. Gibel.* Imò ut arctiùs sibi adhuc devinciret, jus Pontificem ex sua cohorte eligendi concessit.

§. III.

Quibus modis reliquos curiæ suæ satellites, v. g. Abbates, Episcopos aliosque ditare consueverit, est in propatulo. Hi enim ut maximis quibusvis ex Abbatibus, Episcopatibus &c. utantur fruantur, redditibus, curat Pontifex: hos enim redditûs, Religionem paupertatemque clericalem prætegens, pinguioribus Laicis, quantum in ipso est, extorquet, quem in finem pur-



Purgatorium, Missas, opera Supererogationis & similes acquirendi modos excogitavit, de quibus in Cap. III. fufius agetur.

§. IV.

Præcipuè verò agnatis & cognatis Pontifices prospicere soliti : exempli locò esto Sixtus V. qui quinquenniali suo Dominatu familiæ supra tres ducatorum aureorum milliones moriens reliquit, & Gregorium XV. cùm viginti quinque solùm menses ad clavum sedisset, tres scutorum aureorum milliones in prædiis & possessionibus, præter id, quod in pecunia numerata habebat, genti suæ reliquisse, testatur *Pufendorfus in Monarchia Pontif. Rom.* Exemplum citatus Autor adhuc aliud de Urbano VIII. commemorat, cujus ope, triginta millionum scutorum summam explevisse vulgò creditæ sunt.

§. V.

Hæc autem immensa propensio in familiam multis fuit offendiculo, ideoque novum remedium ditare familiam excogitarunt, atque ex cognatis aliquem ad Cardinalium dignitatem evexere, qui Cardinalis Nepos sive Patronus vulgò audit, quem Pontifices hac finis elegisse prætegunt, ne venenum forsan, quod haud rarò in Italia accidere solet, acciperent : hinc etiam patinas clausas habet, quod clarius ex verbis *Directorii Aulici p. m. 170. §. 12.* elucescet : Des Pabsts Schüssel sind mit einem Schlosse verwahret / und darff niemand bey Straffe höchster excommunication in seine Küche gehen / und kocht die Speise eine von seinen nechsten Befreundinnen / diese und der Cardinal Nepot haben



die Schlüssel zu den Schüsseln. Præcipuus autem finis est, ut per hunc agnati cognatique Pontificis opulentiores fiant, *Gibel. p. 763.* atque hinc Innocentius XI. Cardinales Nepotes à tempore Clementis VIII. camera Apostolicæ 17. milliones detraxisse, agnatisque Pontificum attulisse computavit.

§. VI.

Papam quoque Ecclesiæ & Reipublicæ curam gere, haud obscurè ex eo patescit, quia legibus prospexit, quas tamen non leges, sed Canones appellitare solent, licèt reapse coincident. Secundariò verò prospicit, quia ita, ut proprium & familiæ commodum promoveatur, instituit, quod satis clarè *Gibel. in Cesareo-Papia* ostendere satagit.

CAPVT III.

DE

*Mediis, quorum auxilio Dominatum Papa est consecutus.*

§. I



Ec igitur de ipso Pontificis Dominatu sufficientiant : tramites nunc ac media, per quæ talem regnandi formam penetraverit, in hoc ultimo capite investigabimus. Multas & ineffabiles persecutio.



cutiones primitivæ Ecclesiæ Christianos pertulisse, ne-  
minem, nisi in Historia hospitem, fugiet : Ipsi enim  
Imperatores gentilibus Diis addicti erant, & statum E-  
piscoporum sub tribus prioribus Seculis quod concer-  
nit, plerosque, imò tantum non omnes martyriò fu-  
isse coronatos reperimus, usque ad Constantinum M.  
qui Christo nomen dedit. Hic verò ut miles, qui pri-  
mum in arma venit, non statim Ecclesiæ formam præ-  
scribere poterat, fieri enim haud credebatur, Impera-  
torem cum per limina saltem Christianam Religionem  
salutasset, tantum sibi in rebus Ecclesiasticis vindicare  
posse, ut ex utroque Cæsar esset. Hinc Episcopis &  
Clericis, qui jam antea gubernaverant Ecclesiastica,  
sacrarum rerum curam, controversias decidendas, imò  
& rogationem legum Ecclesiæ salubrium relinquebat.  
Hujus neglectus tantum effecit, ut Episcopi Romani  
viribus postea subnixi Clericorum, Episcoporum, ali-  
orumque, Clericos omnes civili urnæ subtraherent.

§. II.

Ad hunc primum Pontificii Dominatûs gradum,  
Constantini M., Imperatoriæ Majestatis sedem mutan-  
tis, Constantinopolin migratio, haud parum confert.  
Roma enim, licet sedes Imperatoria mutata, autori-  
tate tamen maximâ semper præpollebat ita, ut exteri  
Episcopi, arbitrium Romani, in decidendis controversi-  
is, eligerent, imò ad illum appellarent. Papicolæ in-  
crementi opum primordiâ à ficta Constantini M. do-  
natione derivant ; Romano Episcopo Sylvestro ni-  
mirum Constantinum Romam & Occidentis Imperi-  
um, Italiam, Galliam, Hispaniam, Germaniam alias-  
que

que provincias donasse fingunt, *Can. Constantinus dist. 96.* Nemo autem adeo ignarus historiarum erit, qui hanc Donationem tantis parasangis à vero abesse, quantum distant æra lupinis, ignorabit, cum Constantinus adhuc in vivis imperium filiis suis distribuerit. Hoc quoque Venetos non latuit, qui Pontifici de Dominio Maris Adriatici sciscitanti hoc responsum dederunt: Nostri domini probatio in eadem pagina, cujus altera facies Constantini M. donationem exhibet, continetur. Imò hæc Donatio licet facta sit, non tamen valisset, hinc *Bartolus in Proem. ff.* dicit: *Nos sumus in terris Ecclesie amici, ideo dico, quod talis donatio valeat, quasi dicat: Si alibi essem, contrarium tenerem.*

§. III.

Religio quoque, ab ipsis Romanis Episcopis formata, multum ad eorum Dominatum contribuit: ita scilicet ad palatum Romanorum Pontificum directerat, ut alius rivulus ex hoc fonte, nempe divitiarum promanaret. Has nempe consecuturi indulgentias, pro pudor! vendebant, quo fiebat, ut undique obcoecti homines concurrerent, quibus maximò pretiò, indulgentiis venditis, reliquias Sanctorum quandoque addebant. Hinc Germanus natione, cui Christi asina pes, à Patre contigerat, maximà ob hoc mysterium, perfusus latitià, ex Italia Germaniam relegit, ibique aliquos incidens quam sacratò Palladiò donatus sit narravit; hic verò secundus & tertius imò & quartus eodem gaudebat mysteriò, quos quintus superveniens, an Christi asina quinque pedes habuisset, interroga-  
bat?

bat ? se enim quoque pedem possidere, *Schneider. in Titio continuato.* Hoc autem non fixis locis solum, sed etiam hinc inde à vagabundis fiebat, è quorum numero Tetzelius, qui rancido & acetoso vino hederam suspendere emissus, non modò ad certos annos, imò ad dies vitæ, indultu Papæ, indulgentias concedebat. Interim infitorem istum, opibus onustum, sylvamque permeantem, Martis quidam pullus, indulgentiis ad dies vitæ mactatus, despoliavit: cui Tetzelius gravissimum hoc peccatum esse acclamavit; ast ille, omnia mihi remisisti peccata, ergò & hoc, respondit. Indulgentias quoque, ad certa terrarum loca & pagos migrantibus concesserunt, quorum numero haberetur villa Ziegenhain, ubi B. Virginis imago aurea adfuisse fertur, quò locò literæ adhuc à Pontificibus extant, quorum contenta huc transferre non abs re existimavimus: *Paulus PP. anno III. pridie non. Februarii, incarnationis Domini MCCCCLXVI. qui capellam B. Virginis, in villa Czegenhan natiuitatis & annum citationis Maria virginis festiuitatis ---- 0000000 ---- 00000000 ---- devote visitaverint annuatim &c. ad tres annos & totidem quadragenas Indulgentias concessit.* Hæ literæ sine signo Pontificis, quod forsan amissum fuit, extant. *Nicolaus V. Incarnationis Dominica MCCCCLIII. VII. Cal. Augusti, Pontificatus annò septimò, qui natiuitatis B. Virginis festiuitate capellam visitaverint, manuseque adiutrices admoverint, ad septem annos & totidem quadragenas peccata relaxavit.* Hæ scriptura plumbeò sigillò ornata, cujus unum latus præfert effigiem Pauli & Petri cum lemmate *S. P. A. S. P. E.* Alterum verò crucem in apice & *Nicolaus P. P. V.*

G

§.IV,



Pallium Episcopale emolumenta Pontificum non parum adauxit. Est autem pallium textura, latitudine trium digitorum, ita in orbem redacta, ut humeros præfulum ambiat, & à pectore duas lineas sive chordulas, ab utraque parte, antrorsum & retrorsum pendent, longitudinis palmi & semissis habeat, item quatuor cruces nigras vel purpureas, vel albas, quarum una ad pectus, altera retro in humeris jacet, reliquæ hinc inde brachia exornant. Conficitur autem Pallium ex alba lana & quidem Romæ in fauo Agnetis ipso die Sanctæ duo agnelli albi, dum cantatur *Agnus Dei*, super altare ponuntur, qui postea S. Petri Subdiaconis traduntur, maximâ curâ pascuntur, ipsoque die Viridium, teste *Gibel.* lanâ privantur, quæ monialium turris speculi opera in fila deducitur, palliumque ex ea conficitur, quod postea S. Petri & Pauli altari altiori imponitur, ibique à Pontifice consecratur & per noctem asservatur, donec Episcopus vel Archiepiscopus istud consequatur. Talem autem vim ac potestatem Pontifices pallio attribuerunt, ut sine hoc nullus Episcopus vel Archiepiscopus munia sua dignus subire posset; eo verò præcipuus nervus intenditur, ut hoc, *Lutherò dicente, vix unius grossi pallium in Germania 25000 aureis veneat, & quò plura pallia emanant, cum ipsis Episcopis humanantur, in quorum demortuorum locum vel Capularis evehitur, vel inferioribus dignitas ista conceditur.*

§. V.

Duo quoque Sacramenta Pontificibus non sufficiebant,

ebant, sed quinque adhuc ex suo cerebello fingebant, quæ omnia opes Pontificias auctoritatemque augebant, qualia sunt : Sacerdorum initiatio, die *Priester-Weihe*/Confirmatio, die *Firmung*/Pœnitentia, Conjugium Extremaque Unctio, die *letzte Oehlung*. Horum *primum* auctoritati eorum addit, *Secundum* opes eorum augere solet : homines enim divitiis præditi multum pecuniæ Episcopo, cui soli Sacramentum Confirmationis competit, dum infantibus nova nomina tribuit, donare consueverunt. Sacramentum *Pœnitentia* quàm multum illis contribuat, ex sequentibus patebit : Dum enim tres Pœnitentiæ partes, Cordis contritionem, Oris confessionem & operis satisfactionem statuunt, duas posteriores in sui Dominatûs succum & sanguinem convertendas introduxerunt. Nam confessionem oris h. e. ut quis Sacerdoti omnia peccata sua enumeret, idè Pœnitentiæ partem fecerunt fortassis, ut Principum aliorumque arcana bene perspecta, utrum statui suo conducant nec ne, habeant ; operis autem satisfactionem h. e. ut peccator, pœnæ locò, præcedentium peccatorum, operis alicujus boni, per se indebiti præstatione, vel sponte suscepta, vel à Sacerdote mandata satisfaciat, dum partibus Pœnitentiæ annumerant, non parvum gazæ Pontificiæ addere cumulum, facile cuivis erit in proclivi. Cæterum quò pacto Remissio peccatorum, per Indulgentias communicata, Pontificum opibus addere solita, antea §. 3. fuit enarratum. Hic adhuc monemus, quod peccantibus, Pœnitentiamque agentibus, certum pretium fuerit statutum pro ratione peccatorum. Exemplum refert *Taxa Cancellaria*

*via Apostolica & Sacra Pœnitentiaria* cum privilegio in triennium, annò 1520. die 6. Junii edita, & Parisiis publicè venundata, & *Taxa beneficiorum Ecclesiasticorum Regni Francia*, quâ, qui virginem defloravit, 6. grossis, qui mulierem in Ecclesia cognovit, totidem, concubinariis septem, is, qui matrem, sororem & a-liam consanguineam, vel affinem suam, aut conmatrem cognovit, quinque grossis absolvitur, nullò inter Lai-cum & Clericum factò discrimine, Hæc refert *Lipsorpius, in Formationis & Exclusionis infructu Monar-chie Papalis* alterà parte, apud quem plura exempla videre licet. *Conjugii* Sacramentum crumenam Pon-tificum maximopere implet, matrimoniò enim Sacra-mentum factò, jurisdictionem etiam circa matrimoni-alia sibi vindicarunt, quæ aliàs Magistratui civili compe-tebat, hinc pro Dispensationibus maximas pecuniæ sum-mas accipiebant, & quò plures Dispensationes conse-querentur, civilem computationem graduum Pontifi-ces respuerunt, nuptiasque ad septimum primò, nunc verò ad quintum usque gradum prohibuerunt. Et quò pecuniarum harpyæ non adeò longè à morienti-bus abessent, ad legata ad pias causas extorquenda, Sa-cramentum *Extrema Unctionis* introduxerunt.

§. VI.

Purgatorii hæc occasione mentionem injicere, non erit de nihilo, hoc enim familia Pontificis mul-tum quoque addere solet: namque animas in certo quodam *πῶ*, quod neque cœlum, neque infernus, detineri excogitarunt, ibique quòd pro peccatis, cum adhuc in vivis essent, non satisfecerint, torqueri, quò  
verò



verò facilius populo hoc persuaderent, cancos in cœ-  
 miteria, intempeſta nocte, faculis ardentibus tergo im-  
 poſitis, miſſe dicuntur, atque hos animas eſſe demortu-  
 rum, quæ pœnas in purgatorio darent, ſinxiſſe. Hinc mo-  
 nachis, afflietas conſcientias, hoc veluti Gorgonis ca-  
 pite territantibus, & pœnarum in purgatorio perfe-  
 rendarum mitigationem ſub hac conditione, ſi vel o-  
 mnia ſua bona, vel aliquam eorum partem Eccleſiis  
 vel monaſteriis donarent, promittentibus, nihil ferè  
 negatum fuit, quo miſſas Purgatorio animas liberan-  
 tes poſſent decantare.

VII.

Silentii peplo Annates involvere non poſſumus,  
 quibus maxime ditari conſueverunt. Sunt autem An-  
 nates primi anni reditus omnium Epiſcoporum Præla-  
 torumque, quas primo anno poſt electionem recipi-  
 unt. Hos reditus Pontifex Iohannes XXII. vel ſecun-  
 dùm aliorum opinionem Bonifacius IX. papali camera  
 adeò attribuit, quò bella feliciter proſperoque ſucces-  
 ſu contra Saracenos tum temporis gererentur. Pon-  
 tifex autem, ſemel fixò pede, adeò progredi audebat,  
 ut ſemper, denato Epiſcopo, Annates deſideraret, ut ut  
 parum vel planè nihil bello impenderet. Licet verò,  
 Concilio Baſilæa habitò, Pontifex ab ulteriori Annatum  
 exactione prohiberetur, nihilominus cùm ipſi poſtea  
 Conciliis præſent Pontifices, repetierunt, & in hunc  
 uſque diem continuarunt. Quò autem frequentius  
 Annates perſolverentur, hoc utebantur ſtratagemate,  
 ut in demortui Epiſcopi locum inferiorem quempiam  
 ſublevarent &c. quantum pecuniæ cumulum hæc arte



collegerint, facillimè conjici potest. Affine Annatis hoc habendum, quod Papa Nicolaus V. per *Concordata anni 1447.* Imperatore Friderico III. cum Teutonibus eò rem perduxerit, ut, morientibus Clericis Januario, Martio, Majo, Junio, Septemb. Novemb. præbendas, tempore vacantia, cuicumque vellet, attribuire liceret.

§. VIII.

Præterea S. Petri denarium, den St. Peters-Pfennig / Anglis, Danis Polonisque Pontifices scenæ callidissimè inservientes extorserunt. Cùm enim Leone IV. Pontifice, Angli in monachum Edelvvolfum, regio sanguine gnatum, regiam dignitatem transferre gestirent, non prius à Pontifice dimissum legimus, quam quotannis sedi Pontificiæ Angli, de quavis familia sive domo certum numisma, quod decimam Ducati partem, & quod excurrit, æquabat, solvere promitterent. Idem Polonis, cùm Micislai II. demortui filium Casimirum, in cœnobio quodam Gallico Sacris initiatum Regem desiderarent, accidit; nam non prius hunc, Benedictus IX. quam quisque Polonorum, singulis annis, denarium istum solvere promiserit, absolvit. Danorum regem Suevionem Alexander II. ad denarium enumerandum adegit ex hoc titulo, quod antecessores ipsius istum solvere promiserint, sed promissis non steterint. In quantum pécuniæ summam hic Petri denarius excreverit, facillimè ab omnibus conjici potest.

§. IX.

Ne Pipini quoque Donatio prætereatur, paucissimis

finis hujus mentionem injicere op̄era pretium erit: notandum cum ex Merovingii familia Reges Gallia oriundi, otio voluptatibusque sibulas laxarent, majoribusque domus ( denen Ober-Hoffneistern oder Haus-Meyern ) regnandi curam relinquerent, Pipinus, Hilderico regnante, tempore inserviens, habenas imperii arripuit; ne verò odium populi in se reciperet, eum rem per legatos deduxit, ut Pontifex Zacharias Hilderico purpuram regiam indignum judicaret, illoque in monasterium detruso, Pipinum Regem Gallia declararet. Hoc facto Aistulphus Rex Longobardorum Italiam subjugare induxerat, hinc Stephanus II. t. t. Pontifex, Pipini protectionem subibat, quo verò patrocinio dignior esset, Pipini filios, Carolum & Carolomanum, ut successores Imperii declarabat; in gratitudinis ergo symbolum, Rex Aistulphum, ut Pontifici omne abreptum restitueret, coegit. Imò multis præterea regionibus & urbibus, quas Longobardis eripuerat, Pontifici donavit. Hac occasione, Regem Gallia, Christianissimi nomine mactatum fuisse perhibent, interim Pontifex iste beneficio coronationis tituli que largitionis patrimonium stabilivit atque adauxit.

## §. X.

Tandem auro venalia jura, dignitates resque ferre omnes apud Pontificem. Exemplo Clericatus camerae, qui venditur, esse potest, & possessori quadraginta dies ante obitum vendere licitum, hæc tamen lege, ut pretii dimidium Apostolicae camerae cedat, summa verò 60000 coronas explet, unde 30000 camera

mera accipit. Ita quoque Cardinalitia dignitas auro venditur, & quivis facile conicere poterit, quanti talis dignitas ematur, cum Pallium episcopale & Camera Clericatus tanti vendatur. Minimas quoque liberalitatis impensas sumtusque Pontifex facere consuevit: nam locò maximarum donationum reliquias vilissimas Sanctorum Legatis aliisque concedere solet.

## §. XI.

Sufficiant hæc de modis acquirendi Pontificis Romani, Innumeri alii ad huc restant, quibus describendis charta vix ulla sufficeret, ideòque rudiori solùm penicillò materiam hanc, scitu maximè necessariam a, dumbravimus. Plura cupientem de hac materia ad *Pusefordis Monachiam Pontificis Romani*, *Theodosii Gibellini Casareo Papiam* & opus græcum *Patriarchæ Hierosolymitani* πρὸ τοῦ Ἀρχιεπισκοπῆς Ἰερουσαλὴμ remittimus.

SOLI DEO GLORIA.



one  
tius

io-  
li,

ad  
ca  
p  
m





III 154893

AB: 154893

ULB Halle 3  
003 313 859




SK

v 18

VD 17







Disputatio Historico-Politica

DE

DOMINATU  
PONTIFICIS

ROMANI,

Quam

Divinò adspirante Numine

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. VVILHELMO HENRICO

DUCE SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE ac MONTIUM, ANGARIAE  
& WESTPHALIAE &c. &c.

Indultu inelytæ Facultatis Philosophicæ  
*in alma hac Salana*

PRÆSES

M. MATTHIAS NICOL. Braun/

RESPONDENTE

IOHANN. CHRISTOPH. Zebel/

SS.Th.Stud. Nordhuf.

d. Julii Ann.1704.

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT.

JENÆ, Litteris MÜLLERIANIS.

